

b) Quoad jus emolumentum:

I. Taxa funeralis dicuntur emolumenta quae, personarum conditione et locorum praxi vel consuetudine spectatis, dioecesana juxta statuta, defunctorum heredes Parochis aliisve clericis et Ecclesiis exsequiarum occasione solvere tenentur. De jure funeralia emolumenta cedunt Ecclesiae in qua quis sepelitur, vel exponitur, si in publicis coemeteriis sepeliatur.

II. Quarta funeralis, seu portio canonica [quae etiam *redemptionis jus* dicitur] est pars quaedam ex consuetudine aliove legitimo titulo determinanda, ab ecclesia tumulante [non ab heredibus defuncti] Episcopo vel Parocho solvenda ex relictis, sibi a defuncto vel ratione funeris obvenientibus. — Nisi aliter fuerit consuetudine determinatum, portio canonica debet esse quarta pars¹ ex emolumentis quocumque modo perceptis [eleemosynis missarum et foundationibus exceptis], sive ipsa die funeris, sive die 3^a, sive 7^a aut 30^a².

III. Quarta funeralia debetur Parocho proprio defuncti ab ecclesia sepeliente, etiam parochiali, etiam exempta³, etiamsi nullum funus peractum fuerit. Si quis, casu, in aliena paroecia decesserit ibique sepultus fuerit, emolumenta suae restituenda sunt, dempta quarta sepulchrali⁴: si in sua ad eam reportatus, omnia prorsus⁵. Si defunctus duplex domicilium vel quasi domicilium habuerit, et in aliena tamen paroecia sepeliatur, utriusque Parocho proprio defuncti portionem canonicam, aequae dividendam, ecclesia tumulans debet persolvere⁶: nulla vero debetur si defunctus in alterutra paroecia, in propria sepeliatur. Ceterum in re locorum consuetudo plurimum valet.

c) Quoad sepulturae ecclesiasticae concessionem:

I. Nisi ob publicam ac gravem⁷ causam, nunquam denegari potest, et in re Ecclesiae lex benignae interpretationis est, et sive jure, sive facti, in dubio [scandali periculo remoto], ea ratio quae magis personae faveat eligenda est. Gravioribus in adiunctis, Ordinarius consulatur.

II. Denegatur⁸ sepultura ecclesiastica:

1. Generatim omnibus qui in mortis instanti extra Ecclesiae gremium constituti sunt, v. g. non baptizati⁹, haereticis notoriis¹⁰ eorumque fautoribus, schismaticis et apostatis, excommunicatis [nisi in mortis articulo Ecclesiae reconciliati fuerint], nominatim interdictis, in manifesta impietate, aut notorie in mortali peccati¹¹ actu decessentibus.

2. Peculiariter ecclesiastica sepultura denegatur:

a. Seipsos occidentibus¹², quo tamen in casu, suicidii crimen non supponitur, sed plene probari debet. Si utrum quis ex desperatione aut insaniam sibi mortem dederit dubium supersit, periculo scandali secluso, pompis ac exsequiarum solemnitatibus devotatis, ecclesiastica sepultura dari potest¹³.

¹ Trid. XXV, 13.² S. C. C., 18 jul. 1744. — Cfr. Benedict. XIII, *Roman. Pontifex*, 28 april. 1725.³ S. C. C., 6 maj. 1870.⁴ S. C. C., 14 sept. 1878.⁵ S. C. C., 21 august. 1869.⁶ S. C. C., 12 sept. 1881.⁷ Cfr. *Rit. Rom.* ad tit. *De exsequiis*⁸ Cfr. *Eund.* ibid.⁹ Can. 28, d. I *De Cons.*¹⁰ S. C. Off., 6 nov. 1641: *Const. Apostol. Sedis*, § 4.¹¹ S. Off., 15 dec. 1886.¹² Can. *Placuit*, C. XXIII, 9, 5; S. C. Off., 16 maj. 1886.¹³ Cfr. S. Off., 22 febr. 1887.

β. Iis qui sectae massonicae aliisve huiusmodi ab Ecclesia damnatis societatibus adscripti sunt; et ecclesiastica sepultura eis denegari debet, etiam sacramentis Ecclesiae munitis, quando cum sectae signis sepeliri postulaverint, et hanc voluntatem postea efficaciter non retractaverint¹. Ecclesiastica sepultura, si massonica aliave huiusmodi signa feretro aut vexillis apponantur, omnino prohibetur².

γ) Decedentibus in duello³, aut etiam ex vulnere in duello accepto⁴, etiam si extra pugnae locum obierint, et Ecclesiae sacramenta receperint⁵.

δ) Publicis excommunicatis, publicis peccatoribus nondum Ecclesiae reconciliatis, sed cum respicientiae signis decessis, donetur quidem [hisce signis evulgatis] sepultura ecclesiastica, sed absque pompis et exsequiarum solemnitatibus⁶.

3. Propter sepulturae ius dubium non solum, sepultura ecclesiastica non retardanda est: de quo infra.

4. Cadaverum crematio⁷ prohibetur, nec societatibus hunc sibi finem praestituentibus nomen dare licet, nec mandare ut sua aliorumve corpora comburantur fas est.

5. Mandantes ac cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae haereticos notorios, aut nominatim excommunicatos, vel interdictos, excommunicationi latae sententiae [nemini reservatae⁸] plectuntur. Insuper nominatim excommunicatos ad sepulturam ecclesiasticam scienter admittentes⁹, interdicto reservato puniuntur.

251. Praecipua in re Sacrae Liturgiae praecepta huc redeunt:

I — Mortuorum officia et Missae:

I. praesente cadavere, diebus dominicis et aliis festis celebrari possunt, si excipias Nativ. et Epiph. Domini, Trid. ante Pascha, festa Paschatis, Ascens. Pentec. et Corpor. Christi, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolor. Petri et Pauli, Omnium Sanctorum, Patroni principalis loci et Tit. Ecclesiae, et tempus quo, in Ostensorio, expositum est SS. Sacramentum.

2. Absente vero corpore, praeter nuper recensitos dies, Missae ac officia defunctorum prohibentur in dupl. I^{ae} et II^{ae} class., Dominicis festis quae de praecepto, infra Octavam privileg. Epiph. Pasch. Pentec. Corp. Christi, Nativ. Domini, Feria IV cinerum, tota hebdomada maiori, vigil. Pentecost. et Nativ. Domin. — Sed corpore pridie sine missa sepulto ad vespas ob aliquam causam vel in die qua missa esequalis praesente corpore non permittitur, prohibetur missa sollemnis *de Requie* solummodo dupli I^{ae} et II^{ae} class. ac Dominicis ac festis de praecepto.

3. In novo vero jure conceditur: a) in quolibet sacello sepulcreti rite erecto, missas quae inibi celebrari permittuntur, posse esse *de Requie* diebus non impeditis a festo dupl. I^{ae} vel II^{ae} class., a dominicis aliisque Festis de praecepto, necnon a feriis vigiliis ac octavis privilegiatis; b) in ecclesia ubi exequiae aguntur [vel in privato Oratorio domus, in qua cadaver adest], missa *de Requie* praesente, insepulto vel etiam sepulto non ultra biduum cadavere: verum sub clausulis et conditionibus, quibus iuxta

¹ S. Poenitent., 20 mart. 1885.² Pius IX, Epist. *ad Arch. Parisiens.*

26 oct. 1865 — Cfr. S. R. C., 14 jul. 1887.

17 jan. 1890; S. C. P. F., 10 maj. 1898.

³ Trid. XXV, 19; Benedict. XIV, *De-**testabilem*, 5 id. nov. 1752.⁴ Benedict. XIV *loc. cit.*⁵ S. Alph. III, 399.⁶ S. Poenitent., 20 mart. 1885.⁷ S. Offic. 10 maj. 1886, 15 dec. 1886,

27 jul. 1892.

⁸ *Constit. Apostolicae Sedis*, § IV, n. 1.⁹ S. R. C. 9 april. 1808, et jul. 1855.

rubricas et decreta, missa sollemnis de Requie decantatur, exceptis duplicibus 1^{ae} class. et festis de praecepto¹. Qua in re nuperrimo ex jure:

a) Leges pro Missis Def. in cantu manent - Missae vero lectae permittuntur in Duplicibus tantummodo in die obitus, aut pro die obitus, dummodo ne sit Festum de praecepto, aut Duplex I^{ae} vel II^{ae} classis, vel Feria excludens Duplicia I^{ae} classis. Quoad vero Missas *lectas* Defunctorum dicendas diebus ritus semiduplicis aut simplicis, in posterum numquam celebrari poterunt in Feriis n. 2 enumeratis, salva tamen exceptione ibidem admissa. Licebit tamen in huiusmodi Missis de Feria orationem addere pro Defunctis, pro quibus sacrificium applicatur, penultimo loco, prout permittit Rubrica Missalis. Cum autem ut applicari possint Indulgentiae altaris privilegiati, Missae Defunctorum debuerint hucusque in nigris celebrari, Summus Pontifex easdem indulgentias in posterum benigne concedit, licet Missa dicatur de Feria, cum oratione pro Defunctis. In reliquis autem Feriis per annum [si excipias, ferias quadragesimae, quatuor temporum, si occurrat fieri officium alicuius festi duplicis aut semi-duplicis] nec non in Semiduplicibus, infra Octavas non privilegiatas et in Simplicibus, Missae Defunctorum sicut et aliae Missae votivae dici poterunt iuxta Rubricas².

II — Ordinarii haud accedente venia, Orationes funebres in defunctorum, quamvis insigniorum, laudem, haberi nefas³.

III — Abusus super defuncti feretrum flores florumqueserta congerendi, e prudentiae regula, ad maiora mala ac scandala vitanda, tolerari potest⁴. Defuncti vero imaginem dum exsequiae peraguntur, in feretro vel tumulo exponere non licet⁵.

252. — Hisce, tum ex canonibus, tum ex sacra delibatis liturgia, quaedam, ad pastoralementiam attinentia, theologiae moralis principia recolenda veniunt, quae ita, paucis, perstringimus:

a) Ad infirmi sepultura deneganda, eius indignitas adeo evidens esse debet ut, rite omnibus perpensis, in casibus a *Rituale Romano* recensitis [ac superius adlatis] comprehendatur; si vero aliquod dubium permaneat, praesumptio est pro sepultura concedenda. Insuper haec indignitas, praesertim si de publicis agatur peccatoribus, debet esse notoria. Pro omnibus superius adlatis casibus [si duellum excipias] sepulturae privatio habetur quum nulla poenitentiae signa praecesserint. At quoad defunctum excommunicatum vitandum, quamvis ante mortem quaedam resipiscentiae signa dederit, priusquam haec indicia Superiori Auctoritati [cui eum in vita absolvere spectat] cui agenda statuere pertinet comunicentur, nil decerni potest. Urgente in necessitate, quousque responsum habeatur, in loco non sacro eius cadaver reponatur, deinde [si Superioris Auctoritatis facultas suppetit] in sacrum transferendum⁶.

b) Ad suicidas quod attinet, quando eorum tum culpabilitas, tum resipiscentia adeo incerta manent, ut an voluntatis vel insaniae fato subiecerint legitime dubitari possit, praesertim quum incredulitatis, impietatis irreligiositatisque positiva indicia antea vita non praebent, praesumptio pro defuncti insaniam stat, et ad veritatem perscrutandam probos paroecianos, nullo parentelae vel amicitiae vinculo cum suicida devinctos, de sententia exquirere iuvabit. — Omnino immerito inter suicidas, aereis itineibus inservientes [aviatione, aviation] enumerarentur, quorum periculum, sane gra-

¹ Cfr. doc. IV. ad. vol. calc.

² Pius PP. X Constit. *Divino afflatu*, Kal. nov. 1911, in rubricis tit. X. - Cfr. tabell. ad vol. calc. doc. IV.

³ Cfr. Berengo, *Op. cit.* n. 171.

⁴ S. R. C. 16 jul. 1893.

⁵ S. R. C. in *Senogalliens.* 30 april. 1896.

⁶ Cfr. Berengo, *Ibid.* n. 173.

vissimum, non ex principiis quae immediate seu directe suicidas attingunt, sed ex temeritate iudicandum, quae praesertim ex agentis fine dimetienda videtur. Unimvero si lucri vel iactationis tantum gratia, periculum quis subeat, reprobandus; si vero, opportunis adhibitis cautelis, privatae vel publicae utilitatis causa idem praestet, non modo haud improbandus, sed immo laudandus. Ceterum de nuperimis contingentibus peritiores dicent.

c) Qui non confitetur, nec communicat in Paschate, non est, ipso iure, interdictus, sed per sententiam interdicendus¹. Unde si ante declarationem moriatur, dummodo cum contritionis signis obierit, et nisi intermissio sit notoria² vel synodale in contrarium de hoc decretum sit³, sepultura ecclesiastica privandus non est. Haec vero notorietas non tantum ex Parochi parte, sed et ex paroecianorum parte haberi debet. Attamen, eum qui in mortis agone positus, etiamsi in vita nil publici probri praeserret, si coram testibus Sacramenta recusaverit, ecclesiastica privandum esse sepulturam in comperto est.

d) Ne quae occulta sunt patefiant vel incertitudine ac dubio se regi Pastor videatur, hi qui in peccandi actu decesserint, quin resipiscentiae signa praebuerint, omnino imprudenter ecclesiastica privarentur sepultura.

e) Si quis ecclesiastica notorie irretitus censura obierit, et, pertinaciter gravibusque minis, tum exsequiae, tum sepultura ecclesiastica expostulentur, quatenus turbarum fremitus et scandali periculo sinunt, Parochus neque per se, neque per alios ad sepulturam ullo modo concurrat⁴.

f) Ubi de locali interdicto agatur, etiam innocentes [hi, nimirum, qui nullam interdicto praebuerunt causam], quamvis sacramenta accipere possint, sepultura ecclesiastica etsi laici, infantes extraneique, carere debent. At clerici [dummodo nominatim interdicti non fuerint nec, viventes, ullo modo interdictum violaverint] in loco sacro sepeliri possunt. Si vero de generali ac personali interdicto agatur, praeter extraneos, infantes et amentes qui tales essent etiam quando interdictum emanatum fuit, sepultura donantur. Innocentes qui localis generalis interdicti tempore profano in loco humati fuere, interdicto cessante, si commode fieri potest, sacro in loco iterum recondi possunt⁵.

253. — Hisce, tum sacris ex canonibus, tum ex liturgia ac theologia morali principiis, animarum Pastori omnino necessariis scitu, pastoralia monumenta sequantur, nimirum:

a) Funeream componentes processionem ab ecclesia ad defuncti domum una simul procedere debent, et tum in accessu ad eam, quam in recessu, quae de Pastoris coeterique cleri modestia ac gravitate servanda in processione omnibus alibi recolimus⁶, multo magis heic [si ita loqui fas est] locum obtinent. Inibi, enim, quidquid irreverentiam sapit, in defunctum eiusque in parentes [quibus, praesertim, hoc in doloris aerumnaeque adiuncto, maxima debetur reverentia] re-

¹ Cfr. Ferraris, *Biblioth.* ad verb. *Eccllesia*, Art. I, n. 24; Conc. Lateranens, cap. *Omnis*.

² Cap. *A malos* 28, *De Sent. excommunicationat.*

³ S. C. C. in *Barens.* 15 dec. 1696.

⁴ S. C. Epis. in *Cajetan.* 24. jan. 1595.

⁵ S. *Poenit.* t. 10 dec. 1860.

⁶ Cfr. pag. 290 c.

fundi videretur. Nam sacerdotes ad pietatis officium vocatos, mechanica ratione funebria ac psalmos persolvere, se inter confabulare, vagantibus oculis fractoque passu ac nimis demisso habitu publicas per vias incedere, [quo obloquentium murmurationibus satis amplam ansam praebent, et admirationem ac scandalum pariunt] aliquando videre pudet¹.

b) Dum licet, ad cadaver e domo ad curriculum, vel ad ecclesiam asportandum eique quoquomodo inserviendum, homines qui pietati religionisque sensu imbuti, pie, graviter, compe omnia peragant eligantur; atque in his advigilandis severissimus Parochus sit. Si, enim, haec desiderarentur, horum negligentiae culpa in ipsum clerum refunderetur; quin de mortuorum reverentia dicam, quae adeo veneranda omnibus sacra quae esse debet, ut in eam peccare fere sacrilegum.

c) Quoad exsequiarum ritus intra ecclesiam adhibendos, *Ritualis* servetur *Romanus*, et ne intorticia deferentes [avaritiae causa], dum exsequiae peraguntur ea extinguant, vel sacerdotes ad funera vocati antequam ipsa absolvantur discedant advigilabit Pastor; qui, si hos postremos ita se habere comperit, in posterum ne invitet². Ad rem eleemosynas absoluto tantum funere distribuere perutile erit. — Quum vero non semper, immediate post exsequias ad coemeterium deducatur cadaver, ut in qualibet paroecia quaedam decens ac omnino libera mortuaria instituat cella, ubi ad tempus illud deponi possit, oportet.

d) Quoad Parochi obligationem defuncti sepulturam funusque faciendi animadvertendum est:

I. Si heredes, quamvis non pauperes, nullam in re pecuniam solvere voluerint, attamen cadaveris delatio de domo ad ecclesiam, absolutio in Ecclesia et eiusdem de ecclesia ad coemeterium translatio, eodem prorsus modo quem pro pauperibus deferendis *Ritualis* statuit *Romanus*, debitis luminibus, suis impensis, si opus fuerit, adhibitis, *gratis* a Parocho peragenda sunt.

II. Si, e contrario, heredes missae celebrationem aut officium postulaverint, ut externam diversitatem pompae, aliqua ratione, cum ipsis paciscatur Pastor, necesse est. Qua in re ne iis, qui, dum contra ius sibi tantum consulunt, Ecclesiae tamen ministros avaritiae nota inurere non omittunt, obloquendi calumniandique argumentum praebatur, qui [sanctissimis *Ritualis Romani* monitis insistentes] funerum in varias ab Episcopo [cuius tantum est] distributorum classes iurium notam defuncti familiae offerrent [ut quod sibi magis arridet eligant] numquam satis laudandi. — De electa ab ipsis funerum categoria [quamvis et eorum con-

¹ Cfr. Berengo. *Op. cit.*, n. 170.

² Id. *Ibid.*

dicione minore] Parochus contentus, si quid [ut interdum habetur] inter unam alteramve classem emolumentum demere, vel addere oneris contenderint, ipsis comiter obstet. Secus, enim, dum ritus consuetudinesque lacesseret, et paroecia iura [ei, non in dominium, sed in fidele depositum tantum tradita] posthaberet, ac plurimorum abusu praetextus, complurimis, qui funerum pompas absque impensis quaerunt, praebere. Comiter monuimus, quum de re multis periculis obnoxia [a qua bonum sacerdotale nomen ac, interdum, et paroecianorum Pastoris aestimatio plurimum pendent] agatur heic. — Ad omnem vero avaritiae se auferendam suspicionem, non tantum remunerata, sed gratuita quoque, interdum, ducere funera Pastori perutile erit. Hac, enim, ratione, dum sui muneris tantum officiis, non vero auri sacrae famae eum inservire paroeciani vident, Pastori suo fiduciam, ne dicam et eleemosynarum copiam, magis augebunt.

e) Si haec omnia cum fidelibus praestanda veniunt, eo magis cum limitrophis Parochis, et cum his omnibus cum quibus funerum proventus dividere, vel a quibus per territorium paroeciae transitum postulare, vel ipsis concedere debet. Miserandae, enim, in re [si haberi possint] luctae, contentiones, immo et difficultates, praetextus, cavillationesque, utpote caritatem inter fratres dissolventes, ac scandalum fidelibus parientes, quantum pastorale dedeceant regimen, adeo omnibus in comperto est, ut in tam ingrato immorari argumento haud deceat. Evacuetur emungaturque crumena, sed caritas in omnibus semperque triumphum agat!

254. — Ecclesia Catholica ut teneram sollicitudinem suam, necnon filiorum suorum dignitatem evidentius ostenderet, suorum defunctorum fidelium corpora [donec, verbo virtutis Dei, ad vitam aeternam in gloria, resurrecturi sunt] in loco ad hoc specialiter destinato et precibus sacro, sepeliri voluit. Dum, igitur, Pastori licet, coemeteria sollicito constituentur studio, et rite cincta contra prophanationem, sive pascuationem sive alio modo committendam, custodiantur, sordibus expurgentur ac succrescentes herbae eradicentur. — Coemeterii crux in medio fulgeat; convenit, enim, ut sub huius sacrosancto signo requiescant a laboribus suis, qui sub eiusdem Sanctae Redemptionis nostrae vexillo militaverunt in vita. — Aliquoties saltem in anno super defunctorum solitaria at eloquentia sepulchra Sacrum peragere, ea saepe invisere et ita porro, boni Pastoris erit, qui, dum viventibus fidelibus suam pastorem [meliori qua potest ratione] impendit operam, horum qui in signo Fidei in Sanctam nos Aeternitatem praecessere, ne obliviscatur. Enimvero cum Sancta Mater Ecclesia filios suos

etiam postquam sublatis fuerint ab oculis, semper habeat in mente, ut animas, pro quibus quotidie Pastores omnia impendunt et seipsos superimpendunt, etiam post praesentem vitam sedula prosequantur sollicitudine, quam maxime adhortandi sunt. Ad rem, opportuniori in loco, pastorales industrias recolebimus¹. Sacri heic audiantur canones.

I. Loca fidelibus humanis apta, sunt hodie benedicta, vel consecrata, videlicet, ecclesiae parochiales, ecclesia cathedralis, ecclesiae regularium, oratoria publica, coemeteria sive publica, sive privata legitime concessa.

II. Priusquam in ipso sepeliantur fideles, coemeterium ex integro, vel saltem ex parte, debet per Episcopum, vel per sacerdotem, ex delegatione apostolica ab ipso deputato, consecrari, vel per Ordinarium aut per sacerdotem ex delegatione episcopali benedici.

III. Coemeteria, utpote loca sacra, iisdem ac ipsae Ecclesiae privilegiis et immunitatibus de iure fruuntur.

IV. Quemadmodum Ecclesia, ita et coemeterium, iisdem de causis execratur et polluitur, eodemque modo, per legitimam auctoritatem, reconciliatur. Polluta Ecclesia, eo ipso et coemeterium polluitur, non autem vicissim. Ubi frequentioris pollutionis aut execrationis periculum imminet, expedit, toties quoties, singulari benedictione christifidelium sepultura, immediate ante tumulationem, benedici².

V. Coemeterium pluribus paroeciis commune, unicuique proprium censetur, et ius ducendi ad illud sine pompa cadaver tumulandum, illis semper competit quibus, non exstantibus coemeteriis, sepeliendi ius foret.

255. — At vero his omnibus quae de sacris sepulturis ac coemeteriis recolimus, gravia, persaepe, a publica Potestate obijciuntur obstacula. Haec, enim interdum [ne dicam fere semper] ecclesiasticas posthabendo leges, non tantum in foro, sed etiam in choro eiusque adnexis, sese immiscere per fas et nefas, omni nisu, contendit³. Hac ratione quae sacra esse debent coemeteria, prophanis in conventibus immutari, sacrasque funerum processiones in laicales pompas perverti, sacri ritus ordinem ac rationes, conturbari, gemendo conspicimus! Pastor, igitur, bonus, Ecclesiae iurium doctus strenuusque curator, quantum fieri potest, his omnibus sedulo obsistat, et ad hoc [dum circumstantiae sinunt] bonas cum laicalibus Potestatibus fovere relationes, sanas in re paroeciae consuetudines servare, et praesertim, heic quoque, in omnibus ac per omnia ad Episcopi nutum esse, plurimum iuvabit. In tanto, enim, ecclesiasticarum personarum ac rerum ubique invalescente contemptu, Pastoris zeli, caritatis, prudentiae ac Ordinario suo obedientiae nunquam satis, ne tum a propria pusillanimitate, tum ab aliena protervitate, sacrosancta impraescriptibiliaque Ecclesiae iura, misero in modo, lacescentur!

¹ Cfr. indic. alphabetic. *Defuncti*.

² S. R. C. 19 maj 1896.

³ Pro Italia, cfr. Giovanelli, *Op. cit.* XXXVI; Calchi-Novati, *Op. cit.*, Lib. III, Cap. 5.

III

Quoad administrationem spiritualem in specie

CAP. I.

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE.

Deus ac Redemptor Noster Jesus Christus ut nostram fidem exercent pietatemque alat, gratiam quam in Crucis Ara nobis meruit, per Novae legis Sacramenta in nos derivari voluit. Invisibilium quae Spiritus Sanctus operatur in nobis, visibiles formae sunt, omnisque vera iustitia per ea vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Enimvero septem Novae Legis Sacramenta, totidem, Salvatoris fontes sunt, unde salutis aquae, in vitam aeternam salientes, in suorum fidelium bono, Pastores hauriunt; spiritualem alimoniam simul ac medelam, pro vario hominis statu et multiplici morbo [ab ipso vitae exordio, usque ad extremum accommodatam agonem] continent, et gratiam quam significant, fidelibus ritis dispositis, conferunt.

Articulus I.

DE SACRAMENTORUM ADMINISTRATIONE IN GENERE.

§ I. — Quae in re praesertim recolenda veniant.

SUMMAE RERUM. — 256. Pastorales ac practicae ad rem regulae proponuntur. — 257. Conclusio.

256. — Antequam de singulis Sacramentis dicamus, quaedam in re, generali ratione, praestituenda sunt, quae in eorum administratione Pastoris sollicitudine ac diligentia continentur. Ad rem:

a) Quotiescumque sacri temporis ratio, vel spiritualis animarum necessitas urget poscitque, nulla interposita mora, nulloque proprii commodi habito respectu, facilem semper ac paratum se praebeat Pastor. Heic, igitur, mussitationes irrationabilesque procrastinationes nullae sint; quum non sua, sed quae, in spirituale fidelium bonum sunt, curare debeat. Enimvero:

1. Haec sollicitudinis diligentiaeque obligatio ex ipsius pastoralis muneris natura exurgit. Pastor, enim, ac sacerdos dicitur, cui sacra peragere ac fidelium morbos languoresque curare pro-